



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. Martyres Nagrani. 24. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

14. Octob. VITÆ SANCTORVM. 519
ipse conspicuus indicarunt. Atque hæc MACA-
RIVS ipse tribus aliis eremi incolis , nos verò Ma-
rianis idèo hodie narramus , ut sciant securius
castitatem binis leonibus coabitare , quàm uni
fæminæ. Ex Menœis.

Contra reliqua vitia Deo auxiliante debemus in
præsenti resistere ; libidinem verò fugiendo superare :
contra hujus impetum apprehende fugam, si vis obtainere
victoriam; neque tibi sit verecundia fugere, si castitatis
palmam desideras obtainere. Augustin. serm. 250.

SS. MARTYRES NAGRANI.

24. Octobris.

Non jam singulos Martyres producere in
arenam , & cum tyrannis componere , sed
producere in campum plenam aciem juvat, & to-
tam pro Christo pugnaturam urbem Nagranam
armare. Cave tamen cùm in exercitu nostro sacros
homines, senes, marronas, pueros, & adeò puellas
vides, apparatus nostrum riseris. Videbis majo-
res corporibus suis animos , & viros sub stolâ,
ipsamque in senibus juventam , in sacerdotibus
fortitudinem. Ecce enim Arethas (urbi præfectus
fuit) xcv. annorum senex canos pulchros sanguine
pingit, lauro ornat : potuit ne quidquam glo-
riosius ab hac ætate fieri ? Ruunt cum hoc in mor-
tem eamdem socii CCC. XL. an præeuntem ducem
non rectè secuti milites ? Sacerdotes sacrorumq;
ministri omnes uno igne cremantur; an pulchrius
poterant sacrificare ? Puella XII annorum in faciem
Dunaani tyranni sputo pugnat, eadem cum sorore
ferro jugulum dare non abhorret; an non fortiter
utraque ? Utriusque sanguinem mater ore suo li-
bat, mox suum miscet; an non viriliter fecit mu-
tier?

520 VITÆ S A N C T O R V M . 24. Octob.
lier? Sed hem in quinquenni puerō Herculem
Oetæum. Supplicat hic pro matre ad ignes dam-
natâ; sed ubi ad perfidiam invitaris videt, à rege
non jam matris solum, sed suam etiam mortem
orat, & lacrimis perorat, & blanditiis sœvientem
morsu provocat tyrannum. Nihilominus servan-
dus custodiam fallit, & ad matris sinum per ignes,
cum illâ ex ignibus ad cælum volat. Ecce Roma-
vetus, quæ ab omnibus sœculis exempla fortitudi-
nis in omni sexu non mendicabis, omnia spectan-
da uno die dedit virtus Christiana. Ex Metaphr.

*Quid Dei benignitati pro omnibus ejus muneribus
rependemus? Nam si mille annos in terrâ viveremus, ne
pro uno quidem colapho, nedum promorte, quâ pro nobis
fœdissimâ fuit affectus, illi umquam ulla modo posset à
nobis satisfieri. S. Ephrem in Confess. peccat.*

S. MARCIUS CONF. 24. Octobris.

Orbi Romano Justino juniore imperante, re-
ctius sibi MARCIVS imperavit. Aula illi spe-
lunca non procul Caleno in Campaniâ, quanto
angustior tantò augustior fuit; pincerna verò pe-
tra, quæ aquæ tantum, quantum sat erat, quot-
diebus fida ministravit. Doluit dæmon malus, &
veterem serpentis larvam indutus, sive oranti, sive
cœnanti, sive quidquid demum aliud agéti accu-
bare perstitit. Ille orcum vicissim ludos faciens,
nunc pedem, nunc manum ultrò ori ita ingessit, ut
tamen dentem malum figere hic minimè aude-
ret; sed post triennium victum se fassus per alte-
rum montis latus in præceps abiret, ambustis cir-
cum circa omnibus, quâ volvebatur, arbustis. Sed
ecce tibi pugnam, quâ dæmon ceciderat, prosti-
tutæ frontis femina parat restituere. Quis credat?
pericu-